



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

30 Animalia in sacris litteris oculis plena, quid denotent. Oculus in vertice  
sceptri apud Aegyptios, quid admoneat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

Ideo numquam desunt, quæ sint con-  
vella vitia, & pravitas, aut corrup-  
tela griscens, quæ sit comprimenda, imò  
omnibus in rebus nova sunt auxilia mo-  
dò spiritualia, modò temporalia molien-  
da. Nam, ut ait D. Hier. *lib. 3. ad Pelag.*  
Quomodo, qui adverso flumine lem-  
bum agit, si manum fortè remiserit, sta-  
tim retrolabitur, & fluentibus aquis,  
quo non vult, ducitur: sic humana con-  
ditio, si parum se remiserit, discet fragi-  
litate suam.

26 Unde † B. Carolus Borromæus Epif. 30  
coporum exemplar, in ejus vita acriter  
reprehendisse legitur Episcopum quen-  
dam, qui ad eum scripserat, sibi parum  
esse negotij, utpote vocem Episcopo  
prorsus indignam. Nemini, vel medio-  
27 criter sedulo, ac diligenti † ulla unquam  
dies sufficit rebus suis agendis, & tamen  
non desunt ex animarum curatoribus,  
qui, quasi in tuto sint omnia, sub tanta  
farcina soleant feriari, omnibus prorsus 31  
animi curis soluti; non advertentes,  
ineffabilem Christi Jesu in suas animas  
solicitudinem sanguinolentos Apostolo-  
rum labores, ut eas Domino lucriface-  
rent, arduissimam in die novissimo  
rationem, non solum earum rerum,  
quas commiserunt, sed etiam earum, 32  
quas pro suscepto munere omiserunt,  
reddendam esse.

28 Laus militis † ea est, si in conflictu  
fortis, in expeditione vigil, evaserit. To-  
ta Imperatoris gloria, in mira celeritate,  
& vigilantia consistit, Artium & disci-  
plinarum vis, & vita, in diligentia sita est.  
Remove diligentiam, omnia jacebunt,  
Hieronym. Orosius *de instit. reg.* eodem  
29 modo pastoris animarum † laus ea est, si

super gregem suum vigilet. Nec cœpisse  
sufficit, nam in via vitæ non progredi,  
regredi est, D. Bernard. *serm. 2. de Purif.*  
de hac vigilantia non semel nos admonet  
Apostolus, ut in 2, ad Thimot. 3, Tu verò  
vigila, in omnibus labora, & in Act. A-  
post. Attendite vobis, & universo gregi,  
in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episco-  
pos regere ecclesiam Dei. Et paulò post,  
propter quod vigilate. Ad quod etiam al-  
ludit illud Ieremiæ *cap. 1.* Quid tu vides  
Ieremia. Virgam vigilantem ego video,  
& † apud Ezech. *cap. 1.* Describuntur ani-  
malia illa, quæ totum corpus plenum o-  
culis habebant, indicantia attentionem,  
& circumspersionem maximè necessa-  
riam. Hinc apud Ægyptios in vertice  
sceptri oculus porrigebatur, quo Princi-  
pis vigilantiam, ac potestatem significa-  
rent, & in ædium sacrarum vestibulis  
leones effingi solebant, qui sacerdotum  
ostenderent vigilantiam.

Quæ, † licet sacerdoti cuique inferio-  
ri animarum curam gerenti necessaria sit;  
maxima tamen, & præcipua perpetuò  
imminet Episcopis, quorum munus est  
purgare, illuminare, & perficere popu-  
lum D. Dionys. *de eccles. Hierarch. cap. 1.*  
& seq.

Propterea † S. August. scripsit, Epif-  
copali munere nihil jucundius, & opta-  
bilis esse, si persuasoriè, aut adulatori-  
è agatur. Sed nihil apud Deum dam-  
nabilis, nihil verò laboriosius, aut pe-  
riculosius, si sedulo, & fideliter exer-  
cantur, ac nihil apud Deum beatius, si  
eo modo militetur, quo noster Impera-  
tor jubet in *Epist. 1408. relat. in cap. ante  
omnia 4. dist.* In hujusmodi labore, &  
periculo versabatur Paulus, dum dicit